



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

5. Liberij metu dolisque circumventi causam infallibilitati Pontificiæ frustra opponi, quatuor solidis argumentis evincitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

*Opposit.* Liberij casum. Victus exilij tædio Arianae hæresi subscripsit, Athanasium damnavit, vocem homousij expunxit; duasque epistolas, alteram ad Constantium Imperatorem Arianae hæresis Protectorem: alteram ad Semi-Arianos Episcopos, quibus eorum doctrinam vehementer commendat. Et idem tam S. Hilarius, quàm S. Hieronymus Liberium Semi-Arianae hæresis postulant. Imò Ecclesia Romana tanquàm hæresis manifestum Pontificatu dejicit, surrogatque Felicem. Postquàm Maimburgus hæc de Liberio dixisset, insultat, illudique, non victori tantum, sed etiam hostem calcanti similis, nullâ Dignitatis reverentiâ. Pergit enim dicere: *Neminem Arianam hæresin aliis professum esse: ex fastigio in abyssum procidisse: ab Hilario punctim casimque anathemate percussum esse: Et mille alia, superbo potius, ac impotente adversario, quàm historico digna, etiamsi vera essent; quantò igitur indigniora, cum palam falsa? Vix inter ipsos Calvinistas reperias acerbius, amariusque insultantem Pontifici.*

*Resp.* Hæc Maimburgi Oppositio tria complectitur: quorum primum verum quidem est, sed nihil ad rem ac propositum facit. Reliqua verò tam falsa, ut magis non esse possint. Verum est, Liberium peccasse; sed hæreticum fuisse, aut hæresin ex Cathedra professum esse, plusquàm alienum à veritate, quod ex dicendis patebit. Nam primò ipse Maimburgus in historia Arianismi, ubi ex proposito Liberij casum examinat, fatetur: (a) *Liberium nullo modo Semi-Arianorum hæresi subscripsisse, imò constantissimè Filij consubstantialitatem propugnasse, idque tam clarum esse, ut nemo prudens de hoc dubitare possit.* Quid amabo ab eo tempore, quo Maimburgus historiam Arianismi scripsit, Liberius deliquit, ut quem nuper hæresis purum, nunc reum faciat? Historiam Maimburgus, an fabulam & Comædiam scripsit, roties vertente Theatro? an forsan opinionum probabilitas, quæ hæctenus Theologiam, nunc quòque historiam in Protheum vertit, ut quæ nuper vera, nunc falsa appareant? *Secundò.* Quòd si daremus, Liberium hæresi subscripsisse; quandò formulæ Sirmiensi subscripsit, damnavitque Athanasium; quid aliud sequeretur, quàm Pontifices si metu, poenisque urgeantur, absitque Libertas decidendi, posse in errorem labi? at de hoc nobis nulla est quæstio;

○ ○

quæ-

(a) Maimburg. lib. 4. dell' Arianisme.

quærimus enim de Pontifice libero, sui que juris, nec inter pœnas, ac tormenta loquente, nam nec Leges Romanæ confessionem admittunt, supplicij expressam. De Liberio autem ita loquitur Athanasius: (a) *Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, missusque mortis ad subscriptionem inductus.* Et S. Hieronymus: (b) *Liberius tediis victus exilij, &c.* Si ergo erravit Liberius, metu erravit, de quo casu nulla nobis est quæstio, nam metus etiam Concilia corrumpit, quæ tamen Maimburgus vult omnis erroris expertia. Concilium Ariminense quantumvis quadringentis Episcopis frequens, à Romano Pontifice convocatum, ejusdemque Sedis præidentibus Legatis nunquid multò magis Liberio, quàm Ariano errori favit, non omisâ tantùm, sed penitus exterminatâ voce Confubstantialis? tanto utriusque Orbis, Occidentis videlicet, ac Orientis consensu, ac Catholicorum partim luctu, partim pudore, ut S. Hieronymus in hæc verba proruperit: (c) *Tunc Ufia nomen abolitum, tunc Nicæna fidei damnatio conclamata est, tunc ingemuit totus Orbis, & se Ariannum esse miratus est.* Et Severus Sulpitius: (d) *Hilarius, inquit, ubi advertit extremum fidei periculum, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci, &c.* Taceo alia Conciliorum errantium, nec à Sede Romana approbatorum exempla. Quæro quid istis Concilijs defendendis dicturus sit Maimburgus, quod defendendo Liberio non æquè, multòque magis sufficiat? nam si metum prætexat, multò is major in Liberio fuit, quàm in Synodo Ariminensi, in hac enim quadringenti cum metu pugnârunt, victique sunt; at Liberius unus & solus fuit; multò verò facilius unius fugam, quàm multorum excuses. Tertio. Sed demus Liberium Arianam hæresin animo recepisse (quod tamen falsum esse paulò post ostendemus) num idem illam ex Cathedra docuit? hoc est juxta explicationem Maimburgi à me verbatim hîc ex Gallico redditam: (e) *Num, inquam, tanquam magister ac Doctor omnium fidelium, & causâ in pluribus Congregationibus, Consistorijs, Synodisque suorum suffraganeorum, Cardinalium ac Doctorum examinatâ, ac petitis etiam Universitatum Consilijs. Sed præcipuè per solemnem, publicâque preces Spiritus sancti gratiâ & assistentiâ definivit, decrevit, imperavitque omnibus Christi fidelibus, ut Arianam fidem amplecterentur,*

nega-

(a) S. Athanasius epist. ad Solitarios. (b) S. Hieronym. in Chron. (c) S. Hieron. contra Lacifer. (d) Sev. Sulp. lib. 2. sacræ hist. (e) Maimb. ch. 6. initio.

negarētque Filium esse Patri æqualem? Audeat ne hoc Maimburgus dicere? & si non audet, qui ergo Liberij exemplo dici potest, Papam ex Cathedra docentem errare posse; cum ex cathedra docere, sit omnia illa præstare, quæ modò ex Maimburgo recensuimus, & quæ nunquam præstitit Liberius? Ubi enim Synodi? Ubi Collegia Cardinalium? ubi Bullæ & imperia Divinitatem Filio abrogantia? Liberius inter fastidia exilij, Liberius inter pœnas & supplicia, ac tortorum manus, Liberius dolis, metūque circumventus; hoc est ex Cathedra docere, & Pontificem agere? Aliud ergo est errare, aliud errorem docere; & de doctrina nobis, non de errore sermo est. Erravit Petrus, cum Christum negavit, sed non propterea docuit Christum negandum esse. Erravit Marcellinus, cum thura Idolis incendit; sed non decrevit Idolis adolendum esse. Erravit quoque Liberius, cum Athanasium damnavit, cum Sirmienti formulæ subscripsit, nec metu purgari potest, vix privatis permisso: sed nego Liberium Arianam labem ex Cathedra docuisse, multò minus imperasse, & in hoc tamen tota quæstio versatur. *Quarid.* Causa ergo Liberij sic habuit. Nulla hæresis, ut Ariana, speciosius incessit, ac pluribus dolis velata aded, ut cautissimos falleret. Quis enim nescit, & Constantinum Principem aliàs æqui amantissimum, & Concilia Hierosolymitanum, Mediolanense, Ariminense, & alia doctissimis Episcopis referta Arianis fraudibus circumventa, ac simili ferè culpâ, quæ Liberium involvit, decepta fuisse? aded ut S. Hieronymus testetur, totum Orbem, quamvis ignarum, invitumque ingemuisse, Arianum se factum. Quid ergo mirum, unum hominem ijs rebus cecidisse, quibus tot millia capta fuerunt? præsertim exilij, ærumnisque fractum, & ided facile pro honestis captantem, quæcunque simul prodesse. Simulabant Ariani se Catholicos esse, ac pristinis erroribus renuntiâsse: Filium DEI, non esse Creaturam, sed DEUM, æternum, Patri per omnia similem: & denique quidquid Catholici vellent, à quibus etiam sibi formulas fidei præscribi patiebantur. Id solum poscebant, ut Orthodoxi eâ voce *Consubstantialis* abstinerent, & Athanasius condemnaretur. Id ut persuaderent, hæ rationes in medium producebantur. *Vocem Consubstantialis nec in scripturis, nec in Patrum commentarijs reperiri: indignum esse unius vocula pretio*

tot corporum & animarum millia perire, ac Religionem civili bello consumi. Quid referret unam vocem & novam, & hactenus inauditam, nec necessariam taceri, si de re ipsa constaret? an verò Religio de vocibus, & non potius de rebus esset? Præsertim cum ea vox evertenda potius quam fulcienda Religioni serviret, eâ quippe Sabellianos abuti, ac Personarum unitatem inducere. Hæc non absque ratione dici videbantur, habebantque faventes Imperatores; & quid dico Imperatores? ipse S. Augustinus, (a) quo nemo cum Ariana hæresi feliciter confligit adversus Pascentium Arianum agens; profitetur se illius fidei subscripturum, si nullâ aliâ re erret, quam omissione vocis Consubstantialis. Athanasium quod atinet, criminationes ei impositæ tot coloribus veritatem imitantibus obducebantur, ac tam multis Conciliorum Cæsarumque præjudicijs adjunctæ erant, ut mirum esset non credi, fallerentque prudentissimos; præsertim cum illi ipsi Episcopi Athanasium accusarent, quos constabat fidissimos amicorum fuisse; quæ causa fuit, ut Constantinus illum Treviros deportaverit interceptæ annonæ reum. Hæc Liberium permovere. Cum enim Arianam hæresin, eosque omnes, qui Filium DEI esse, ac per omnia Patri similem, anathemate damnasset, credidit publicæ paci unius Athanasij ac voculæ exilio innocenter litari posse. Subscripsit ergo primæ formulæ Sirmiensis. Nihil eâ speciosius dici legique poterat, nec ullo mendacio, hæresi que sædabatur. Omittebat tantum vocem *Consubstantialis*. Hoc Liberij delictum; quia tamen communi Catholicorum sensu causa Athanasij cum causa fidei conjungebatur, & vox homousij tessera erat, quæ Catholicos, Arianosque distinguebatur; hinc à multis creditum est, Liberium Arianae hæresi consensisse. Quæro jam ex Maimburgo, qua in re Liberius hæreticus fuerit? Quod Athanasium damnaverit? at damnare innocentem injustitia est, non hæresis; nec Liberius ob fidem Athanasium, sed ob alia damnavit, quæ illi objectabantur, & ferè qualia superioribus annis Alecænsi & Apamiensi Episcopis: Athanasium enim pertinaciæ, superbiæ, seditionis, imò & Magiæ, & cædium postulabant. Quod cum Arianis communicaverit? at Catholicos se simulabant, Ario, ejusque hæresi abjuratis; non ergo tamquam cum Arianis, sed cum Catholicis societatem junxerat. Quod de-

ceptus

(a) S. Augustinus epist. 174.

ceptus sit, & pro Catholicis habuerit, qui hæretici erant? at decipi non hæresis est, sed imprudentia: num solum Liberium, & non potiùs totum Orbem deceperant? & quæ tam cauta innocentia, ut falli non possit? nemo Chrysostrum hæreticum dixit, quòd Monachos Origenistas, Catholicam Religionem egregiè mentitos tantâ curâ contra Epiphanium defenderit, sinûque exceperit. Si quis Calvinista Catholicum se ferat, néque id tantùm voce, sed etiam corollâ precatoriâ de manu pendente, cruce fronti impressâ, sacrâ bullâ ad collum demissâ, aliisque Catholicorum ritibus: tûque hâc specie, pompâque pietatis deceptus eum pro Catholico habeas, cum eoque communices; quis propterea Calvinistam te dicat? tantùm nec ampliùs fecit Liberius, species illum, colôrque deceptit, mendacio veritatem imitante. Quòd vocem *Consubstantialis* omitti sileri que permiserit? at eâdem ratione Augustinum tantum Arianorum hostem damnaveris, quippe eandem silere paratum: nec silentium veritatis dici hæresis potest, præsertim cum quis rem ipsam fatetur, nec enim fides de vocibus, sed rebus est: & Liberius eâ ratione omiserat, quòd persuasus esset, eâ Sabellianos abuti eliminandæ Personarum distinctioni. Non negabat Liberius Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ, imò qui hoc negaret, anathemate percusserat; sed sileri tantùm eam vocem ferebat tamquam novam, in scripturis non repertam, Sabellianis propriam, facemque discordiarum, ut Ariani jactabant, quæ quidem omnia aut fallâ erant, aut malignè explicata, sed fallentium culpâ, non decepti. Non excuso Liberium, quippe aut incautum, aut mollem & fastidio pœnarum pacem præ bello amantem; sed aliud est improvidum, inconstantem, mollémque, aliud hæreticum esse. Hoc nunquam Maimburgus de Liberio probabit, illa non excuso. Et hæc quidem de Liberio suffecerint. Pergit Maimburgus de Vigilio & Honorio, de Bonifacio VIII. Adriano VI. & Pio II. dicere, quæ non solum in Regali Sacerdotio, verùm etiam in superiori dissertatione à nobis refutata sunt, & ideò repetere non vacat.